

E PRAEFATIONE MAXIMILIANI NIEDERMANN*

Marcelli Burdigalensis de medicamentis libri editio princeps anno 1536 curante Iano Cornario medico Northusiensi¹ Basileae ex officina Frobeniana prodit. Exemplar manuscriptum, quo uno ex more temporis illius Cornarius ad hanc editionem parandam usus erat, Helmreichio praeunte² multi recentioris aetatis uiri docti falso in deperditis numerabant. In codice enim Parisino Lat. 6880, quem usque ad hos proximos annos prorsus neglectum latuisse optimo iure mireris³, permultae adscriptae sunt correctiones, quae ad unam omnes cum Cornarii lectionis uarietate congruunt. Praeterea in editione Cornarii capitis 28 paragr. 66 usque ad 74 et capitis 29 paragr. 1 ad 3 et paragr. 5 desunt, contra post capitis 29 paragr. 5 adiecta est compositio, quae non extat in codice Laudunensi, qui praeter Parisinum solus ex codicibus uniuersum Marcelli opus exhibentibus aetatem tulisse uidetur; euoluens autem codicem Parisinum uidebis ibi folium 120, quod paragraphos a Cornario omissas itemque capitis 29 paragr. 4 continebat, intercidis et in locum eius insertum esse folium chartaceum, in quo eadem manus recens, cui correctiones illae debentur (Cornarii scilicet), ad explendam lacunam ex Scribonio descripsit capitis 29 paragr. 4 et compositionem apud Cornarium post capitis 29 paragr. 5 in uerborum contextum inlatam. Vnde pro certo statuere licet Cornarium codicem Parisinum Frobeni typothetis excudendum tradidisse. In editione sua Cornarius nonnulla feliciter emendauit cum suo ipsius ingenio suaque doctrina adiutus, tum Scribonii compositionum libro, quem

* Quae addidi, uncis quadratis inclusi (Liechtenhan).

¹ De Cornarii uita et scriptis conferas uelim Allgemeine deutsche Biographie uol. 4 p. 481 (Hirsch) et Biographisches Lexikon der hervorragenden Aerzte aller Zeiten und Völker herausg. von Aug. Hirsch uol. 3 p. 14 sq. (Pagel). [,2. Aufl. uol. 3 p. 15. O. Clemen, Janus Cornarius. Neues Archiv für sächs. Geschichte XXXIII (1912) S. 36ff.“ addidit Niedermann in margine.]

² Cf. praefationem editionis, quam publici iuris fecit is uir doctus Lipsiae anno 1889.

³ Primus post Cornarium adhibuisse uidetur Hermannus Schoene, qui carmen ad calcem scriptum in usum Alexandri Riese Anthologiae Latinae editionem alteram parantis contulit; cf. Anthol. Lat. ex rec. A. Riese ed. alterius fasc. 2 (Lipsiae 1906) p. IIII. [,vgl. Albr. von Haller, Bibliotheca botanica (Zürich 1771) Bd. I, S. 158; Charles Daremberg, Histoire des sciences médicales (Paris 1870) t. I p. 246“ addidit Niedermann in margine. Daremberg Parisinum contulerat et iam cognouerat codicem Cornarii esse.]

aliquot annis ante a Ruellio in Gallia uulgatum¹ maxima ex parte in Marcelli opere contineri cognouerat. Plura autem peruerse temptauit scripturae traditae auctoritate, quae utpote in codice uetusto ubique quam artissime premenda erat, leuiter sprete suoque arbitrio plus aequo indulgens. Qui quantopere multis locis extra artis criticae terminos euagatus sit, exemplis aliquot subiunctis perspiciatur.

4, 39² in codice Parisino legimus³: *inula in oleo discocta et contrita et cum butyro ouillo et melle inposita cacoethema emendat; eadem ratione curantur et cybii ueteres, sed cett.* Quae collata Plinii Secundi quae fertur medicina (p. 75, 12 sqq. ed. Rose⁴), ex qua fluxit Marcelli locus, certa ratione sic emendantur: *inula in oleo discocta et contrita et cum butyro ouillo et melle inposita cacoethe emendat*⁵; *eadem ratione curantur et cybio uetere, sed cett.* Cornarius uero plane ex libidine haec dedit: *inula in oleo discocta et contrita et cum butyro ouillo et melle inposita cacoethe maligna emendat; eadem ratione curantur et tubera, sed cett.*

8, 157 codex Parisinus exhibet⁶: *angulos oculorum, quos medi canthus* (i. e. *καὶ θούς*) *uocant. medi* procliui errore ex *medici* corruptum esse loco simili 4, 52 comprobatur, ubi traditur: *duritias, quas cacoethes medici uocant.* At Cornarius nullo litterarum ductus respectu habito *medi* in *Graeci* mutauit. . . .

36, 5 Cornarius in codice suo inuenit: *radicis cucumeris agrestis, quem futium dicunt.* *Futium* fortasse recte se habere me monuit uir doctus O. B. Schlutter, qui de adiectiuo a substantiuo *futis*, quod est 'uas aquarium', ducto cogitauit cucurbitamque lagenariam, quam uocant recentioris aetatis rerum naturalium scriptores (Germ. 'Flaschenkürbis', Franco-gall. 'gourde' uel 'calebasse', Angl. 'the round gourd' uel 'pumpkin') designari existimauit. Sed fac eum errasse⁷, certe non est, quod Cornarii coniecturam, immo interpolationem: *quem sicyon agrion dicunt* pluribus uerbis refellam.

Sed non solum uerba reuera corrupta audacter mutauit uel omnino praetermisit editor primus, uerum etiam sermonis uulgaris asperitates,

¹ Scribonii Largi compositiones una cum Cornelii Celsi de re medica libris octo a Ioanne Ruellio editae Parisiis anno 1529 apud Christianum Wechel prodierunt.

² Numeri ad capita et paragraphos spectant, nisi praemittitur p(agina).

³ In codice Laudunensi mutilo haec non extant.

⁴ [p. 66, 10 sqq. Önnersfors.]

⁵ Corruptela *cacoethema* inde orta esse uidetur, quod uerba *cacoethe emendat* in exemplari continua scriptura exarato a librario uel fortasse ab ipso Marcello sequioris aetatis orthographiam secuto *cacoethemaemendat* scripta sint (nam *m* littera, ubi ultima esset uocabuli alicuius, in sermone plebeio non iam pronuntiata saepenumero perperam addebatur), posteaque, cuius rei paene innumera sunt exempla in codicibus, a ab initio insequentis uocis inepta disiunctione auulsum antecedenti agglutinatum sit.

⁶ Codicis Laudunensis memoria hoc loco desideratur.

⁷ [Heraeus proposuit *fugitiuum* (i. e. *erraticam*) apud Niedermann p. 368.]

id est uoces formulasque a communi grammaticorum norma recedentes sescentis locis sustulit natiuamque auctoris barbariem magna ex parte offuauit. Vt pauca tantum huiusmodi exempla proferam, 15,63 pro *ternos sorsos*, quae est scriptura utriusque libri manuscripti, *ternas sorbitiones* scripsit, cum uocem *sorsus* 'haustus' in Latinitate plebeia ad linguas Romanicas, quas dicunt, uergente usitatam fuisse Italorum hodiernorum *sorso* testimonio sit. Inter uocabula rariora recentioris notae, quae a Cornario temere repudiata uidemus, etiam *acidiua* numerandum est 20,88: *oxyporium Pancharianum ad digestionem, quod et aqualiculi corruptelas uel acidiuas consumit*. Quae forma consensu codicum Parisini et Laudunensis fulta apud Anthimum quoque quinti et sexti post Chr. n. saeculi medicum loco simillimo nostri occurrit, cf. Anthim. de obseruatione ciborum p. 7,12 sqq. ed. V. Rose¹: *etiam et crudos humores generant et acedibas* (G, *acediuas* g, *accidebas* A, *accidiuas* l)², *carbunculos*³ et *ructus graues faciunt*. Errauit igitur Cornarius genuinae lectioni *acidiuas* commenticiam *aciditates* praeferens. Neque magis cum eo faciemus, cum 23,63 exturbata lectione *uulpiculi*, quae utriusque codicis nititur auctoritate, Marcello formam tritam *uulpeculae* attribuerit. Est enim *uulpiculus* uestigium notabile linguae Francogallicae nascentis; cf. Francogallicum *goupil*, *gourpil*, de quo egit Carolus Rockel in dissertatione inaugurali Vratislaviae anno 1906 edita, quae inscribitur: '*Goupil. Eine semasiologische Untersuchung*'. Plane idem dicendum est de locis, quales sunt 2,12: *de muris fimo pilulas septem teres et cum aceto fronti uel temporibus dolentibus lines* (P et L), 15,95: *cum uero desierit feruere, paulatim spargere aeris flos* (P et L), 33,1: *ad ueretri uero tumorem lentem ex aqua coctam et tritam poni utilissimum est* (P; L deest), ubi Cornarius scripturas traditas *lines*, *spargere*, *poni in inlines*, *aspergere*, *inponi* commutauit. . . . Ceterum in hac re sibimet ipse non satis constitit Cornarius, quippe qui aliis locis in eodem genere ponendis uelut 12,16: *emplastra autem dentibus dolentibus poni oportet eiusmodi* (P et L) aut 29,13: *coli dolorem auertes, si de lacertarum caudis summitatem tuleris* (P et L) in tradita lectione nihil offenderit.

Denique in editione principe haud ita raro typhotetarum menda deprehenduntur, quae Cornarium in corrigendis plagulis fugerunt. . . .

¹ [p. 1,11 ed. Liechtenhan.]

² Notatu dignum est, hanc uocem a Graecis mutuam (est enim Graecorum ἀκηδία) nonnisi apud Marcellum et apud Anthimum sensu 'taedium stomachi' usurpari, ceteroquin 'taedium animi' significare (cf. Thesaurum linguae Latinae uol. 1 col. 355). Praeterea Marcellus et Anthimus soli *acidiua* cum *u* insiticio (quod in quibusdam codicibus Anthimi uulgatissima confusione *b* notatur) protulerunt, cum alias *acedia* uel *acidia* tradatur. Cum *acidiua* ex ἀκηδία conferas *musium* ex μουσῖον, *archium* ex ἀρχεῖον, *argium* (apud Pelagonium cap. 14.245.327 et in Mulomedicina Chironis, quae uocatur, cap. 217) ex ἀρκ(τ)εῖον sim.

³ Cf. Theod. Prisc. 2,95 (p. 195,3 sqq. ed. Rose): *si de feruore autem, ut tempore digestionis, odor fumosus quidam, quem aliqui carbunculum appellant, dolorosos singultus prouocauerit*.

Cornarii textum repetiuerunt nullis subsidiis manuscriptis adhibitis Paulus Manutius Aldi filius anno 1547¹ et Henricus Stephanus Roberti filius anno 1567². Denique longissimo temporis spatio interiecto Marcelli libro recensendo operam dedit Georgius Helmreich, cuius editio anno 1889 Lipsiae in lucem prolata, licet textus integritati diligentius quam Cornarius consuluerit hic uir doctus, tamen et ipsa plus uno numero improbanda uidetur. Et primum quidem magnopere dolendum est, quod Helmreichius neque codicis Parisini neque Arundeliani notitiam habuit [cf. infra p. XV sq.], quo factum est, ut deficiente codice Laudunensi complurium ternionum et quaternionum iactura misere truncato editione principe codicis loco uti coactus omnes eius coniecturas friuolas et interpolationes omniaque menda transcripserit. Vbi uero ea, quae extant in codice Laudunensi, aliter efferuntur in editione principe, etsi recte sensit, plerumque discrepantem Cornarii lectionem nullam auctoritatem habere, tamen eam saepenumero probae codicis sui memoriae anteposuit et rursus interdum quae Cornarius ad fidem codicis Parisini emendatiora dedit, quam traduntur in Laudunensi, falso interpolata ratus prae corrupta Laudunensis scriptura spreuit. Sic optime 14,26 codicem Laudunensem secutus scripsit: *cumque ter ipsum feceris et carminaueris*, cum apud Cornarium legatur: *et carmen dixeris*, item 27,32: *in quo myrti bacae coxerint*, ubi editio princeps praebet: *coctae fuerint* . . . Nam Cornarii lectiones ex interpolatione fluxisse codicis Parisini testimonio comprobatur. Quidni igitur, ut ad exempla iam supra allata reuertar, etiam 15,63 cum Laudunensi dedit *ternos sorsos* uel 20,88 *aciduias*, 23,63 *uulpiculi*, 2,12 *lines*, 15,95 *spargere*, quae ab omni parte sana esse uidimus? . . . Similiter peccauit Helmreichius e. g. his quoque locis: . . .

26,69 ex editione principe in suam ipsius recepit: *hederae nigrae bacas V aut VI aut XI, prout aetas aegri uiresque patientur, contritas ex aqua mulsa sumptas mire prodesse manifestum est, etiam si sanguinulentam urinam stranguriosus faciet; ex aqua tantummodo calida eas potare debebit*. Sed *nam si*, quod est in L (sicut et in P) tolerari posse facile apparet, dummodo falsam Cornarii distinctionem mutemus. Scribemus igitur: *ex aqua mulsa sumptas mire prodesse manifestum est; nam si sanguinulentam urinam stranguriosus faciet, ex aqua tantummodo calida eas potare debebit. nam aduersatium, quod uocatur, in Latinitate sequioris aetatis latissime patuit; . . .*

27,8 displicuit Helmreichio codicis L lectio (quae eadem et in P extat): *denique in omnibus laborantes adiuuat et concoctiones remouet et*

¹ Medici antiqui omnes qui Latinis litteris diuersorum morborum genera et remedia persecuti sunt undique conquisiti et uno uolumine comprehensi, Venetiis apud Aldi filios 1547.

² Medicae artis principes post Hippocratem et Galenum, excudebat Henricus Stephanus, [Parisiis] 1567.

urinam mouet; remouet enim cum Cornario delendum esse censuit. Quodsi hoc loco concoctionis uocabulum solito significato usurparetur, qui est 'digestio', facere nimirum non possemus, quin Helmreichii iudicio accedere-mus. Verum huic uoci apud Marcellum aliam quoque uim subesse, in quam remouet optime quadrat, intellegitur ex 20,29: haec potio somnum conciliat, concoctiones doloresque omnes sedat uel ex 32,2: pectoris quoque concoctioni et causis interaneis prodest et lumborum doloribus¹. . .

Iam de locis quibusdam disputemus, quibus Helmreichius in errore contrarium incidit, deteriore codicis Laudunensis lectionem potiori a Cornario ex codice Parisino petita praefertens. . .

20,139 Cornarius exhibet: *transglutendum dabis ei, qui cibum euomit statim et non potest continere*, Helmreichius autem: *ei, qui cibum euomit, statim potest continere*. Etenim uerba *et non*, quae Cornarius in exemplari suo inuenit, in L erasa sunt, ita tamen, ut hodie quoque facile dinoscantur. Quibuscum si contuleris, quae leguntur 20,74: *hoc facit ad eos, qui cibum tenere non possunt eumque uomitibus reiectant*, non amplius dubitare tibi licebit, quin rasura codicis Laudunensis falsae librarii cuiusdam coniecturae debeatur uerbaque *et non* ut genuina seruanda sint. . .

Accedit, quod et uerborum contextus et apparatus criticus editionis Helmreichianae sat multa menda continent . . . Textum traditum perperam expressit e. g. his locis: . . .

7,22 *facit et ad morsus hominis et canis rabidi* Helmreichius; in Laudunensi uero et apud Cornarium (i. e. in Parisino) legitur: *Facit et ad morsus serpentium et ferarum omnium et ad morsus hominis et canis rabidi*.

8,49 *et cum lacerta discessit* Helmreichius, *et cum lacerta discesserit* Laudunensis et Cornarius (ex Parisino). . .

Nec minus uituperandus est Helmreichius quod, cum in adnotatione critica uel futilissimas codicis Laudunensis scripturas rettulerit uelut p. 40,16 *ederae pro hederæ* . . ., idem contra multas alias, quae ad ueram textus formam restituendam uel certe ad codicis Laudunensis indolem pernoscendam nonnihil conferre poterant, omnino silentio praeterierit. . .

16,58: *fabae grana quinquaginta tostata in furno* L (et P); *tosta* Cornarius, Helmreichius. Scripturam *tostata* Latinitati Marcelli accommodatissimam neque hoc solo loco traditam . . . Helmreichius ne memorauit quidem. . .

Denique non sine damno aliquo accidit, quod in inuestigandis Marcelli fontibus multa Helmreichium fugerunt quodque testimonia . . . aut nondum cognita habuit, sicut additamenta ad Theodorum Priscianum et

¹ Cf. etiam Plin. n. h. 22,123: *ad concoctiones uero et ulcera uetera*, Cels. 5,18,5: *commune autem et iocineri et lienii et abscessibus et strumae, parotidibus . . . etiam concoctioni uentris Lysias composuit ex his*; occasione data adnoto, huius significationis ne in Thesaurio linguae Latinae quidem ullam contineri mentionem.

antidotaria Bruxellensia anno 1894 a Valentino Rose in lucem prolata, aut, quae cognita erant, nihil omnino curauit. . . .

Praeter eos, qui totum opus Marcellianum ediderunt, fuerunt, qui singulas tantum particulas eius typis describerent. Epistulas Vindiciani ad Valentinianum imperatorem et Hippocratis ad Maecenatem, quae absurde inscribitur, item carmen hexametrum de speciebus medicinalibus anno 1529 Scribonii editioni a se curatae subiunxit Ioannes Ruellius, qui quae subsidia in usum uocauerit infra p. XIII sq. demonstrabitur. Epistulam ad Maecenatem de tuenda ualetudine anno 1800 e Cornarii editione repetiuit Florianus Caldani, Antonio Musae, Augusti Caesaris medico, id opusculum tribuens.¹ Versus hexametri cum apud alios inueniuntur, tum in editione Celsi, Sereni Sammonici, Rhemmii Palaemonis a Roberto Constantino recognita², in Epigrammatibus et poematiis ueteribus a Petro Pithoeo collectis³, inter Poetas Latinos minores ex recensione Petri Burmann⁴, denique apud Alexandrum Riese in Anthologiae Latinae editione utraque.⁵ E quibus editoribus Pithoeus, Burmannus, Rieseus in editione priore e Cornario pendent, Constantinus, licet et ipse Cornarii uolumen adhibuerit, tamen maxima ex parte Ruellium secutus est.⁶ In editione altera Anthologiae Latinae Rieseus carmen ad fidem codicum Parisini et Arundeliani expressit.

Hinc ad subsidia recensiois transeamus. Sunt autem haec⁷:

¹ Antonii Musae fragmenta, quae extant, Bassani 1800; cf. etiam M. Wellmann, Pauly-Wissowa Realencycl. uol. 1 col. 2633 sq., Schanz Geschichte der röm. Literatur ed. 3 uol. 2, 1 p. 547 sq., Teuffels Geschichte der röm. Literatur ed. 6 uol. 2 p. 151 sq.

² Lugduni a. 1566; qui uir doctus carmen hoc a Ruellio Vindiciano tributum (uide infra p. XIV) Sereni Sammonici perorationem esse censuit.

³ Parisiis a. 1590.

⁴ uol. 2, Leidae a. 1731.

⁵ Edit. prior. fasc. 2, Lipsiae 1870; ed. alter. fasc. 2, Lipsiae a. 1906.

⁶ Cf. e. g.

u. 15 *aetate atque habitu* Ruellius, Constantinus.

aetatisque habitu Cornarius, Pithoeus, Burmannus, Rieseus 1.

u. 30 *sandice cum creta* Rue., Const.

sandyce et creta Corn., Pith., Burm., Rie. 1.

u. 31 *calce, camino* Rue.

calce, cumino Const.

chalco et adusto Corn., Pith., Burm., Rie. 1.

u. 40 *uile cyminum* Rue.

lene cyminum Corn., Pith., Burm., Rie. 1, item Const.

u. 49 *asphaltum albumque helleborum* Rue., Const.

asphaltum, gallam, elleborum Corn., Pith., Burm., Rie. 1.

u. 70 *at nostrum studium quisquis* Rue.

quisque (uel *quisquis*) tamen nostrum hoc studium ceteri omnes.

⁷ [Cf. praeterea Schanz-Hosius p. 282: „Einen Codex des Mediziners hatte Poggio 1417 in Fulda gesehen, wie auch Panormitanus vielleicht ein Stück von ihm besass: s. R. Sabbadini, Le scoperte dei codici latini e greci ne' secoli XIV e XV, Nuove Ricerche (Firenze 1914) p. 234“.]

Codex Parisinus Lat. 6880 (olim Regius 4999) membranaceus, P saeculo nono, ut uidetur, a pluribus librariis aliis alios deinceps excipientibus exaratus¹, foliorum 150, si numeros ordine notatos respicias, reuera 151, cum numeri 42 et 53 binis foliis appicti inueniantur et rursus folium 120 deperditum sit. Ex hoc codice Cornarium editionem principem instituisse a uiro docto Paulino Paris recte animaduersum est. In interiore enim inuolucris parte haec legitur adnotatiuncula litteris P. P. signata, quae sunt primae litterae nominis modo commemorati: 'Ce manuscrit a dû être mis par Froben entre les mains de ses compositeurs pour l'édition de 1536. Les notes et corrections marginales doivent être de la main du célèbre médecin Jean Cornaro (*sic*), auquel on doit le texte de l'édition de Froben.'² Vide etiam, quae supra p. V disputaui. In commentario editionis compositionum Scribonii Largi anno 1655 Patauii a Ioanne Rhodio emissae Marcelli codicem peruetustum Cornarii manu adnotatum (id est Parisinum nostrum) tum temporis in bibliotheca Isaaci Vossii adseruatum fuisse docemur.³ At memoria lapsus esse uidetur Rhodius, nam certo scimus, codicis Parisini Lat. 6880 possessorem anno 1655 fuisse filium clarissimi philologi Claudii Salmasii, cui post obitum patris anno 1653 uita defuncti hereditate obuenerat quique ipse moriens anno 1661 hunc librum cum multis aliis Philiberto de la Mare legauit.⁴ Accedit, quod in catalogo librorum manuscriptorum Isaaci Vossi post eius mortem (decessit autem anno 1689) a Paulo Colomesio confecto Marcelli nomen nusquam reperitur.⁵ Vnde coniectandum est, Rhodium per errorem Isaacum Vossium pro Salmasio uocasse. Hunc librum manuscriptum a Cornario adhibitum e monasterio Fuldensi oriundum esse probabili coniectura statuere licet. In praefatione enim libelli, quem anno 1520 de schismate extinguendo scripsit, Viricus de Hutten narrat, se nuper in bibliotheca

¹ Cf. Catalogi codicum manuscriptorum Bibliothecae Regiae partis tertiae tom. 4 (Parisiis 1764) n. 6880.

² [Ch. Daremberg quoque uir doctus intellexerat Parisinum nostrum eundem esse codicem, quem Cornarius multis locis sua manu nimium emendasset; uide Histoire des Sciences médicales I, 1870, p. 246 adn. 1.]

³ Cf. Scribonii compositiones a Ioanne Rhodio editas p. 158: 'Cuius (Cornarii scilicet) insignem libertatem in emendandis libris hodieque ostendunt perantiquae Marcelli membranae in bibliotheca u. c. Isaaci Vossii, ubi derasis uersibus integris ad libitum plurima reposuit.' Rhodii auctoritate confusus idem adseuerauit Ioannes Augustus Ernesti in retractationis Bibliothecae Latinae a Ioanne Alberto Fabricio conditae tomo 3 (Lipsiae 1774), apud quem haec leguntur p. 527: 'Qui manuscriptas apud Isaacum Vossium Marcelli membranas literis scriptas quadratis et 800 annorum aetatem excedentes consuluerunt, uarie illum scriptorem a Cornario interpolatum queruntur, ut Io. Rhodius ad Scribonium p. 158'.

⁴ Cf. Leop. Delisle Cabinet des mss. de la Bibliothèque nationale tom. 1 (Parisiis 1881) p. 361 sqq.

⁵ Colomesii catalogus Oxonii in bibliotheca Bodleiana asseruatus ab Edwardo Bernard in Catalogos librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae in unum collectos receptus est, qui anno 1697 Oxonii prodierunt.

Fuldensi blattis et cariei eripuisse codices Plinii, Solini, Quintiliani, Marcelli medici aliorum¹, et in suasoria ad bibliothecas Germaniae peruestigandas inter annos 1427 et 1431 a uiro docto Nicolao Niccoli ad cardinales Albergatium et Caesarinium missa (quae extat in libro mscr. saec. XV anno 1913 a bibliopolis Florentinis T. De Marinis et eius socio diuendito) non modo idem Marcelli medici codex in monasterio Fuldensi adseruari dicitur, uerum etiam uerba, a quibus incipit, referuntur, quae uerba in eundem modum deprauata sunt atque in codice Parisino Lat. 6880 (Marcellus uir illustris ex magno officio Theodosii).²

Codicem Parisinum contuli ad imaginem phototypice expressam; praeterea collatio anno 1911 ab Alberto Delachaux u. d. Parisiis confecta mihi praesto fuit, quam non sine fructu adhibui, ubicumque in exemplari phototypico, quid antiquitus in codice scriptum fuerit, post Cornarii correctiones non iam ita commode dispicitur.

- L Codex Laudunensis 420 (olim 326) membranaceus saeculi noni uel decimi, foliorum 199, oriundus ex monasterio Notre-Dame de Laon³, a pluribus librariis scriptus sicut Parisinus. Basileam missum ipse excussi. Cuius codicis non pauci quaterniones uel terniones temporum inuidia interierunt. Supersunt hodie quaterniones II, III, IIII, ternio VI, quaternio VII, ternio VIII, quaternio X, ternio XI, quaterniones XII, XIII, ternio XIII, quaterniones XV, XVI, quaterniones XVIII, XX, XXI, quaterniones XXIII ad XXXI (quaternionis XXVI uno folio exsecto), quaternio XXXIII, desiderantur terniones I, XVII, XVIII, quaterniones V, VIII, XXII, XXXII, XXXIII, XXXV, quorum iactura facta numeri reliquis primitus appicti ita mutati sunt, ut qui fuit quaternio secundus nunc sit primus et sic deinceps. Foliorum numeri post codicem mutilatum apppositi sunt nulla amissionum ratione habita. Compluribus locis correctoris insulsissimi manus nugis suis hunc codicem inquinauit, sicut in epist. Cornelii Celsi ad G. Iulium Callistum 5, ubi *audetur aut demonstretur*, quod librarius per errorem scripserat pro *aut detur aut demonstretur*, in *aut audietur aut demonstretur* mutauit, uel in epist. Vindic. ad Valent. 9, ubi in uerbis traditis *ne perforans cutem ac pertundens cratem capitis genere in eo uitia diuersa* pro *genere*, quod ex *generet* corruptum esse in *propatulo* est, substituit *gerere*. Denique, quamquam nihil ad codicis Laudunensis aestimationem attinet, tacendum non esse puto, lectorem quendam inter lineas uel in margine de suo adscripsisse

¹ Cf. A. Ruland Serapeum (Zeitschr. f. Bibliothekwissenschaft, Handschriftenkunde u. ältere Literatur) uol. 20 (a. 1859) p. 285 sq., P. Lehmann, Johannes Sichardus und die von ihm benutzten Bibliotheken und Handschriften, Monaci a. 1911 (= Quellen u. Untersuch. zur lat. Philol. d. Mittelalters uol. 4 fasc. 1) p. 94.

² Cf. E. Jacobs Wochenschr. f. klass. Philol. a. 1913 col. 701 sq.

³ Cf. Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements publiés sous les auspices du Ministre de l'Instruction publique tom. 1 (Parisiis 1849) p. 224 sq.

sententias aliquot uarii argumenti et compositionem ad dysenteriam facientem; legimus enim in partibus auersis foliorum infra commemoratorum:

fol. 7

nil agit exemplum, litem quod lite resoluit (= Hor. sat. 2, 3, 103).

fol. 99

Rodulfus episcopus iuuat in aeternum.

fol. 152

nec paries geminus detinuit facinus.

*furis habes nomen, ueniat tibi nominis omen,
effuratus equam nocturno tempore nequam.*

fol. 157

dissenteria, quae currantia (in Francogallorum sermone plebeio *la courante*) *dicitur, hoc modo curatur: interiorum corticem nigrae spiniae fortiter contere et post parum uini commisce et presso iusso* (Francogallice *jus*) *aegro da bibere, spero dei clementia sanabitur infirmitas.*

fol. 188

induitur natura diuinitas humana. quis audiuit, dic rogo, talia facta?

Codex Arundelianus 166 Musei Britannici membranaceus, foliorum 86, praefixis duobus foliis chartaceis codicis argumentum a u. d. Humphrey Wanley conscriptum complectentibus. Cuius pars prior, continens epistulas Hippocratis ad Maecenatem, Plinii Secundi ad amicos, Cornelii Celsi (reuera Scribonii Largi) ad Iulium Callistum, eiusdem ad Pullium Natalem, Vindiciani ad Valentinianum imperatorem, quae in Parisino et in Laudunensi cum duobus aliis Marcelli libro de medicamentis praemissae sunt, item uersus hexametros 78, in quos desinit liber Parisinus, saeculo nono¹ uel rectius decimo² tribuitur.³ Pars posterior uarias anonymorum dissertationes de re medicinali complectens uno fere saeculo recentior uidetur. Hunc codicem fundamenti loco habuisse censendus est Ioannes Ruellius, cum anno 1529 ad calcem editionis suae compositionum Scribonii Largi epistolam Vindiciani ad Valentinianum imperatorem, poema supra commemoratum, Hippocratis quae dicitur epistolam ad Maecenatem expresserit; nam nonnullis locis, ubi Arundelianus a Parisino et Laudunensi inter se congruentibus recedit, aut Arundeliani scripturam praebet Ruellius aut certe ex Arundeliano pendet. Conferas uelim

¹ Cf. Catalogue of ancient manuscripts in the British Museum part 2: Latin (Londinii 1884) p. 78.

² Cf. Diels Die Handschriften der antiken Aerzte, Griech. Abt. 1 (Berolini 1906) p. 52.

³ Folia membranacea 1 et 2, quae ab alia manu exarata sunt, in locum foliorum laesorum postea inserta esse censet u. d. Humphrey Wanley; tamen scriptura non multo recentior uidetur.

p. 26,26¹: *euacuatur* A, Ruellius; *euacatur* P L.

p. 32,22: *scitis* A, Ruellius; *scimus* P L.

p. 50,1: *aquam aqua* A, Ruellius; *aqua aquam* P L.

p. 32,12 sq.: *tecum ab haec conpositionem* A, *tecum ad haec compositio est* Ruellius; *tecum habes conpositionem* P L.

Item in poemate de speciebus medicinalibus u. 53: *euforbum* A, *euphorbum* Ruellius; *euforbium* P (L deficit).

Eodem spectat, quod carmen illud hexametrum sub Vindiciani nomine edidit Ruellius, nempe quia in libro Arundeliano Vindiciani epistolam excipit nullo alio titulo interposito nisi uerbis 'ad lectorem'.

Attamen non uno Arundeliano usum esse Ruellium collatis his locis facile apparebit:

p. 26,24 sq.: *animi cibo nimiaque potione* P et L manus prima, Ruellius (*a nimio cibo* L m. 2); *nimio cibo nimiaque potatione* A.

p. 28,5: *quattuor igitur disponuntur* P L, Ruellius; *quatuor igitur modis disponuntur* A.

p. 30,9: *ouum sorbilem tantum aut* P L, *ouum sorbile tantum aut* Ruellius; *ouum sorbilem aut* A.

p. 30,11: *ex eo nascuntur tertianae et quartanae, fiunt podagrici cheragrique* P L, *ex eo nascuntur tertianae et quartanae, fiunt podagrici chiragricique* Ruellius; *ex eo nascuntur tertianae et quartanae et fiunt ex eo podagrici et chedagrici* A.

Codicem Arundelianum, quoad ad huius editionis fines pertinet, ad imaginem phototypicam contuli.

Codices L et P artissime inter se cohaerere miro quodam consensu cum probarum tum uitiosarum lectionum lacunarumque euincitur. Argumento sint loci hi, quos ad rem absoluendam sufficere existimo.

1. Eadem menda scripturae occurrunt in L et in P:

9,62: *his, qui surdi sunt, quorum aures sonant, sucus uuae in maturae et rosae pondere pari admixtus tepideque infusus plurimum prodest; et primitus omisum postmodum non suo loco suppletum esse uidit Eduardus Liechtenhan, ut sit restituendum: his, qui surdi sunt <et> quorum aures sonant, sucus uuae in maturae [et] rosae pondere pari admixtus tepideque infusus plurimum prodest.*

10,65: *ruta ex aceto acri conteritur atque inde pinnula infigitur; ea in nares coniecta sanguinem fluentem efficaciter cohibet; pro infigitur, quod non intellegitur, scripsi inficitur collata eiusdem capitis paragrapho 58: uel sucus eius naribus infundatur uel si papyrus inde infecta et spicillo inuoluta naribus inseratur.*

11,32: *sed illis diebus, quibus adhibes curationem, olei oleum et porcinam non manducabis, ubi olei delendum est.*

¹ Paginarum numeri omnium deinceps exemplorum sunt editionis meae.

20,26: *polentam cum passo protropo uel cum uino Falerno dulci clo anbioano atque alio eiusdem generis; corruptela nondum sanata.*

30,37: *absinthium potum uomit bilem maxime iocineri insidentem; Marcellum mouet bilem dedisse in propatulo est.*

Saepius etiam in uerborum praua separatione L et P inter se consentiunt, sicut p. 78,3: *herba emililoti* pro *herbae meliloti*, p. 172,29: *auricula et umorem* pro *auriculae tumorem*, p. 264,33: *liques castam quam* pro *liquescas tamquam*, p. 336,17: *alica eius* pro *alicae ius*, p. 506,12: *dolor et uti* pro *dolore tuti*.

2. Lacunae communes, quibus propinqua librorum L et P cognatio illustratur, e. g. his extant locis:

8,211: *puluerem tenuissimum harum specierum cum uino ueteres et* (L, *ueteres sed P*) *collyria inde formabis*, quod Cornarius optime correxit pro *ueteres* scribens *ueteres* (tere)s.

10,23: *apii seminis, quod hyoscyamus dicitur, * II. hyoscyamus* Latine est *altercum*, unde apparet, hoc loco quaedam intercidisse, id quod confirmatur Scribonii testimonio, apud quem legimus cap. 52: *apii seminis pondo trientem, anesi pondo quadrantem, alterci seminis, quod ὑοσκύαμος dicitur, pondo trientem*. Librarius igitur, cum uocabulum *seminis* bis in hoc enuntiato occurrat, a priore ad posterius aberrauit.

Plane eadem ratione ortae sunt lacunae, quae his locis deprehenduntur:

13,4: *herbam urceolarem quam plurimam cum radice deinde lotam uno die siccant*. Scribonius cap. 60 exhibet: *herbam urceolarem legunt, cum iam in semine est, quam plurimam cum radice, deinde lotam uno die siccant*, unde apud Marcellum supplendum esse censeo: *herbam urceolarem quam plurimam, cum* (iam in semine est, legunt cum) *radice, deinde lotam uno die siccant*.

14,2: *aluminis fissi * II, omphaci aridi * I*, cum quo loco conferas uelim Scribonii cap. 65: *aluminis fissi p. * II, gallae contusae p. * II, omphaci aridi p. * I*.

16,103: *postea adde supra scriptum mellis ueniant densitatem, quam corruptelam* Cornarius probabili ratione sustulit restituens: *postea adde supra scriptum mellis* (pondus, ut ad mellis) *ueniant densitatem*.

Tamen neque codicem Parisinum a Laudunensi transcriptum esse neque hunc ab illo, ex lacunis in altero tantummodo codice extantibus colligi potest. Vt exemplis aliquot utar, haec in Parisino desiderantur, quae in Laudunensi integra leguntur:

8,16: *cuminis semunciam*.

16,92: *oleastri folia si bene decocta ex melle comedenda dentur empyicis, celeriter sanabuntur*.

23,55: *quarto XV, quinto XI, sexto VIIII*.

26,94: *— I, petrosilini Macedonici — I, seminis*.

27,4: *arrenici, quod est auripigmentum, * XII.*

29,38: *myrrae semunciam.*

Rursus in Laudunensi haec omissa sunt, quae in Parisino seruata sunt:

Epist. Corn. Celsi ad G. Iulium Callistum 2: *forsan non a medendo, sed a potentia effectoque medicamentorum.*

8,73: *aut subtiliter <inter>dum suffundantur.*

15,60: *ungularum equinarum exustarum cinis cum oleo inpositus uel inlitus strumis medetur.*

26,107: *et faeni Graeci bene mundati et loti quartarium.*

27,117: *aquae anethaciae cyathos tres et.*

29,11: *sagapeni * X, gummis * IIII, artemisiae suci * IIII.*

Ad cognationis inter Parisinum et Laudunensem intercedentis rationem recte definiendam codex Arundelianus, si quid uideo, maximi momenti est, utpote qui in dissensu librorum illorum plerumque cum Laudunensi uel genuinam lectionem seruauit uel corruptus est. Exemplo sint hi loci:

p. 30,27: *stranguriam tubi sustinebunt P, stranguria L A.*

p. 36,12 sq.: *longe summos a disciplina P, a disciplinam L A.*

p. 38,35: *pro argumento utuntur P, pro argumentum L A.*

p. 40,1: *uiderit, quid Asclepiades senserit L A, uiderit om. P.*

p. 42,12 sq.: *cupio enim, medius fidiis, qua possum tuae in me tam perseueranti beniuolentiae respondere P, perseuerantiam L A.*

p. 42,19 sq.: *tu porro candidissimo animo et erga me beniuolentissimo dignos nomine editionis non uerbis, sed re probasti P; me om. L A, digne nomine L A.*


Cum Parisino solo non nisi raro facit Arundelianus neque unquam, id quod firmissimum argumentum est, locis corruptis. Conferas, quaeso:

p. 30,6 sq.: *ut graue corpus leuamenti adiuuetur P A, iuuetur L.*

p. 36,16 sq.: *qui medicinam spoliare temptant usu medicamentorum, forsan non a medendo, sed a potentia effectoque medicamentorum ita appellatam P A, forsan non a medendo, sed a potentia effectoque medicamentorum om. L.*

p. 52,24 sq.: *quibus circa oculos cura rursus aut igni adhibetur aut ferro P A, adhibetur om. L.*

Cum igitur codicem Arundelianum ceteroquin Parisini et Laudunensis simillimum propius ad hunc quam ad illum accedere neque tamen ex Laudunensi descriptum esse uideamus, uix errabimus hoc librorum mss. stemma proponentes:



Epistula, quae inscribitur Hippocratis ad Antiochum regem, — est autem epistula Graeca Dioclis Carystii ad Antigonom in Latinum sermonem conuersa¹ — necnon epistula, quae inscribitur Hippocratis ad Maecenatem, praeterea in plurimis codicibus manuscriptis leguntur², sed haec exemplaria sententiis quidem congruentia uerbis et inter se et a libris Parisino 6880, Laudunensi 420, Arundeliano 166 ita discrepant, ut ad commune archetypum referri nullo modo possint. Quanta sit diuersitas ut cognoscatur, operae pretium erit speciminis loco transcribere quaedam e prioris harum epistularum apographo, quod u. d. Hermannus Stadler e codice Parisino Lat. 6837 saec. XIII uel XIII⁴ edidit³:

Incipit epistola Hippocratis ad regem Antiochum.

Quoniam conuenit te regem omnium potentissimum uitam longam et aetatem producere, maxime cum tanta sapientia uigeas, ut mathesin quoque optime scias, optimum duxi etiam rationem salutis tuae tibi notissimam fieri, ut ex qua origine uel quibus de causis morbi nascerentur et quibus uitia reprimerentur medelis disceres. Sicut enim tempestas imminens signa praemittit, ita et corporis languor impendens certa significatione praenoscitur. Haec ergo (si) tu diligenter obseruabis, qui fidem nostris demonstrationibus accommodas, poteris reliquum tempus aetatis integra sanitate decurrere. . . .

Nihil igitur hae paraphrases ad Marcellum pertinent. Neque magis iuuamur ad criticam auctoris nostri exercendam codice Carpentoratensi chartaceo 1774 saec. XVII, cuius folio 315 continetur capitis, quod est apud Marcellum de mensuris et ponderibus (p. 10 sqq.), textus Latinus et Graecus, quippe cum hic textus non ex archetypo quodam manuscripto, uerum ex Marcelli editione principe descriptus sit.⁴

¹ Quae et ipsa spuria uidetur, cf. Wellmann Pauly-Wissowas Realencyclop. uol. 5 col. 812.

² Cf. Diels Die Handschriften der antiken Ärzte, Griech. Abt. (Berolini 1906) 1 p. 51 sq., 2 p. 27 sq., Erster Nachtrag (Berolini 1908) p. 28 sq.

³ Archiv für lat. Lexikographie uol. 12 (1902) p. 21 sqq. Cf. etiam C. Plinii Secundi nat. hist. ed. I. Sillig uol. 5 (Hamburgi et Gothae a. 1851) p. XLI et Mauricii Hauptii opusc. uol. 3 p. 466 sq., ubi inuenies finem eiusdem epistulae, qualis extat in uetusto libro Salmasii, nunc Parisino Lat. 10318, in scheda 273; cui fragmento subscribitur: Apulei Platonici explicet de remediis salutaribus feliciter.

⁴ Cuius rei certiozem me fecit uir humanissimus A. Divol, bibliothecae Carpentoratensis praefectus, per litteras ante diem XIII cal. Decembres anni 1913 ad me datas.

² Marcellus

Quodsi denique Caspar Barthius in Aduersariorum commentariorum lib. I cap. 6 pag. 2342 adfirmat, se poemata hexametrum de speciebus medicinalibus, quod infra ad fidem codicum Parisini 6880 et Arundeliani 166 edidi, inuenisse in uetere codice Vindiciani nomen expressissime praefere, ea uentosa iactatio est nugatoris illius uaniloqui¹. Nam quas affert lectiones e codice, quem se inspexisse mentitur, eae ad unam omnes cum Ruellii lectionibus congruunt, quae, ubicumque a libris Parisino et Arundeliano recedunt, ipsius interpolationi debentur sicut et Vindiciani nomen poemati illi in editione Ruelliana praefixum (cf. huius praefationis p. XIV).

Ad librorum manuscriptorum lectiones uel confirmandas uel emendandas plurimum ualent fontes et testimonia, de quibus nunc disputandum est.² Quos fontes adierit, ipse Marcellus profitetur in epistulae ad filios paragrapho secunda haec uerba faciens: *Nec solum ueteres medicinae artis auctores Latino dumtaxat sermone perscriptos, cui rei operam uterque Plinius et Apuleius et Celsus et Apollinaris ac Designatianus aliique nonnulli etiam proximo tempore inlustres honoribus uiri, ciues ac maiores nostri, Siburius, Eutropius atque Ausonius commodarunt, lectione scrutatus sum, sed etiam ab agrestibus et plebeis remedia fortuita atque simplicia, quae experimentis probauerant, didici.* De Apollinari, Designatiano, Siburio, Eutropio hoc loco nominatis nihil omnino scitur. Ausonius quin fuerit Decimi Magni Ausonii poetae pater, quem medicum nobilem Burdigalae fuisse a filio docemur, uix est, quod dubitemus, sed scripta huius medicinalia in nostra tempora non durauerunt. De Celso Marcelli fonte ualde difficilis et intricata oritur quaestio. Perlustranti enim A. Cornelii Celsi de medicina libros octo nulla apparebit cum Marcello affinitas, qua quidem hunc ab illo quidquam mutuatum esse euincatur³. Accedit, quod ex epistulis duabus, quibus apud Marcellum Cornelii Celsi nomen inponitur, altera certe ab hoc auctore abiudicanda est, cum constet, eam reuera Scribonii Largi esse, neque altera reperitur inter scripta Cornelii Celsi, quae quidem aetatem tulerunt. Id si respicimus, uix dubitabimus sententiam eorum sequi, qui praeunte Bianconio loco Marcelli supra allato pro uerbis traditis *Apuleius et Celsus* scribere iusserunt *Apuleius Celsus*, quod fuit nomen medici haud ignobilis Centuripini, praeceptoris Scribonii Largi et Vettii Valentis.⁴ Quae sententia eo quoque magnopere commendari uideatur, quod apud Marcellum prorsus nulla occurrit mentio Scribonii Largi,

¹ [„cf. J. Draesecke, Der märkische Philolog Caspar von Barth, Socrates = Zeitschr. f. Gymnasialwesen, 4. Jahrgang (1916) S. 278 ff.“ addidit Niedermann in margine exemplaris sui.]

² [Cf. de fontibus et testimoniis etiam Liechtenhan, Bem., p. 3 sqq.]

³ Cf. Helmreich Blätter für das bayer. Gymnasialschulwesen uol. 18 (1882) p. 394.

⁴ Cf. Giovanni Lodovico Bianconi Lettere sopra A. Cornelio Celso al celebre abate Girolamo Tiraboschi (Romae 1779) p. 111 et J. F. K. Hecker Gesch. d. Heilkunde uol. 2 (Berolini 1829) p. 41 adn. 3.

licet compositionum huius maximam partem prope ad uerbum compilauerit. Tollitur enim haec difficultas, si Marcellum Scribonii opus Apuleio Celso tribuisse coniectamus.¹

Eandem fere quam in Scribonium operam impendisse Marcellum in Plinii Secundi Iunioris qui feruntur de medicina libros tres luculente demonstrauit Valentinus Rose² in *Hermae* uol. 8 p. 18 sqq. Neque tamen hac epitome contentus fuit, sed multa praeterea ex ipsius Plinii Secundi naturalis historiae fonte uberrimo petiuit. En habes 'utrumque Plinium' a Marcello diserte inter fontes nominatos. Quamquam Roseus in commentatione modo laudata p. 56 sq. negat Marcellum quidquam ex ipsius Plinii naturali historia hausisse, locos Plinianos, qui non leguntur in Pseudoplinii medicina, quorum magnus est numerus apud Marcellum, ad editionem olim pleniorum breuiarii Pliniani pertinere contendens. Quemadmodum autem, si nonnisi uno fonte Pliniano usus esset Marcellus, breuiarii amplioris exemplari scilicet, 'utrumque Plinium' nominare potuit? Sed fac Roseum ueri simile dixisse, tamen, cum breuiarium illud, si quando fuit, sine uestigiis interierit, in enumerandis Marcelli fontibus praeter Pseudoplinii medicinam etiam C. Plinii Secundi naturalis historiae respectum habere oportebit.³

Ad similitudinem, quam inter Marcellum nostrum et Apulei qui fertur de herbarum medicaminibus librum intercedere iam diu animaduersum est, recte aestimandam magno impedimento est, quod pristina herbarii Pseudoapuleiani forma plurimis additamentis suppositiciis deprauata est quodque editio sanis rationibus elaborata, qua fidenter uti liceat, adhuc desideratur.⁴ Vix igitur sperari potest, quaestionem, quae nobis hic instituenda est, ita absolutum iri, ut omnis dubitatio tollatur. De fontibus Pseudoapulei fusius egit Hermannus Koeber in dissertationis, quam inscripsit 'De Pseudoapulei herbarum medicaminibus'⁵, capite secundo. Qui uulgatam opinionem, qua Pseudoapulei herbarium ex locis a Plinio et a Dioscoride mutuatis conflatum esse credebatur, refellere conatus est statuitque, Pseudoapuleium quaecumque cum Plinio uel cum Dioscoride communia habet, non ex ipsis, sed ex eorum fontibus excerptisse. Ceteroquin Pseudoapuleium non tam cum ipso Dioscoride, quam cum interpolatore eius consentire, sed et hanc quoque adfinitatem inde ortam esse, quod uterque iisdem fontibus usus sit, Koeberus demonstrasse sibi uisus est. At minime equidem argumentis, quae congegit, adducor, ut eius

¹ Cf. Helmreich l. c. 393 sq. [Cf. praefationem secundae editionis p. XXXI.]

² Cui debetur etiam editio *Medicinae Pseudoplinianae*; cf. Plinii Secundi quae fertur una cum Gargilii Martialis medicina nunc primum edita a Valentino Rose, Lipsiae a. 1875. [Nuper recens editio curante Alf. Önnersfors prodiit, de qua cf. p. XL.]

³ [Cf. de hac quaestione praefationem secundae editionis p. XXXII.]

⁴ [Anno 1927 Lipsiae prodiit *Pseudo-Apulei Herbarius* ab E. Howald et H. E. Sigrist editus (*Corpus medicorum Latinorum* uol. 4).]

⁵ Prodiit Baruthi a. 1888.

sententiam probem. Immo Pseudoapuleium non modo Dioscuridem et Plinium ipsos, uerum etiam breuiarium Plinianum, quod sub nomine Medicinae Plinii circumfertur, adiisse ueri simillimum duco interpolatio- nesque apud Dioscuridem obuias e Pseudoapuleio fluxisse mihi cum Well- manno u. d.¹, cuius iudicio hac in re plurimum tribuo, persuasissimum est. Neque tamen multum interest, utrum Plinium an Plinii fontem quendam deperditum compilauerit Pseudoapuleius. Nam utcumque de ea re existi- mabitur, nemo doctus dubitabit, quin necessitudo, qua Marcellum cum Pseudoapuleio coniunctum esse dixi, aliqua ex parte in eo posita sit, quod uterque quodam modo cum Plinio cohaereat. Sedulo autem cau- dum est, ne hoc in uniuersos Marcelli locos, qui locis Pseudoapuleianis respondent, quadrare putemus. Nonnunquam enim consensus is est, ut alterum ex altero hausisse nullo pacto negari possit. Id quod facile apparet huiusmodi locis inter se collatis:

Marcellus 4,16: *nasturcii semen mixtum adipi anserinae tritumque furfures capitis assidua lauatione depellit.*

Pseudoapuleius 21,2²: *herbae nasturtii semen tritum cum adipe anserino et mixtum ablutione furfures e capite eiciet.*

Plinius nat. hist. 20,129: *Sextius adicit, (nasturtii semine) . . . emen- dari . . . porriginem et ulcera capitis cum adipe anserino.*

uel

Marcellus 9,81: *herbam, quam Graeci polygonon, nos aliquot uocabulis, sed praecipue sanguinalem dicimus, mira efficacia dolores aurium discutere etiam nos experti sumus, si expressus sucus eius tepefactus auribus instilletur; 9,21: herbae polygoni, quam nos sanguinalem dicimus, sucum expressum et infusum mira efficacia dolorem ulceraque aurium sanat.*

Pseudoapuleius 19,5³: *herbae proserpinacae (idem in initio capitis: polygonon . . . Itali sanguinarium, alii proserpinacam) sucus tepefactus et in aurem stillatus dolorem mirifice discutit, id quod etiam ipsi experti sumus, tamque potenter proficit, ut ulcera quoque aurium sanet.*

Plinius nat. hist. 27,114 (polygonum): *sucus et auribus purulentis in- stillatur.*

uel etiam

Marcellus 20,20: *puleium tritum uel in aqua maceratum adiecto aceti paululo et potum nauseam stomachi sedat.*

Pseudoapuleius 92,3⁴: *pulegium tritum uel in aqua maceratum cum aceto potui dabis; nauseam stomachi sedat.*

¹ Cf. Pauly-Wissowas Realencyclop. uol. 5 col. 1135 et Pedanii Dioscuridis Anazarbei de materia medica lib. quinque ed. Wellmann passim, e. g. uol. 2 p. 8 et 170.

² [Ps. Apul. 20,7 ed. Howald-Sigerist.]

³ [Ps. Apul. 18,18 ed. Howald-Sigerist.]

⁴ [Ps. Apul. 93,9 ed. Howald-Sigerist.]

Plinius nat. hist. 20,153 (*puleium*): *in nausias cum sale et polenta in frigida aqua pota inhibet, sic et pectoris ac uentris dolorem, stomachi autem ex aqua. item rosiones sistit et uomitiones cum aceto et polenta.*

Restat, ut diiudicemus, uter alteri talia suppeditauerit. Ad quam quaestionem soluendam ansam praebere uidentur ipsi, quos modo attuli, loci. Quodsi enim Marcellus 9,81 sicut Pseudoapuleius 19,5 se polygoni ad sedandos aurium dolores efficaciam ipsum expertum esse praedicat, in mentem nobis uenit, hanc esse eius (Marcelli scilicet) consuetudinem, ut, quae auctores ab eo compilatos usu comprobauisse legerit, sua ipsius obseruatione se cognita habere fingat; cuius rei in exemplum satis erit proferre, quae 9,31 ad uerbum e Scribonii cap. 40 descripsit: *ad summam ego ipse diu uexatus auris taedio, cum multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus et alios complures sanavi.* Praeterea, quae leguntur apud Marcellum 9,81 et 20,20 et apud Pseudoapuleium 19,5 et 92,3, ad Dioscuridem potius quam ad Plinium referenda uidentur; cf. Dioscur. 4,4,2: (πολύγονον ἄρρεν): καὶ πρὸς ὠταλγίας καὶ πυορροίας ἐνσταζόμενος ἀρμόζει (ὁ χυλός); 3,31,1 (γλήχων): ναυσίας τε καὶ δηγμούς μετ' ὀξυκράτου ποθεῖσα παραμυθεῖται.

Cf. etiam Marc. 8,163: *herba, quam Graeci sarcocollam, nos argimonia appellamus, si uiridis erit, trita, sin arida, calida aqua macerata, quo facilius teri possit, inlita oculis sugillationes liuoresque eorum mature discutit.*

Pseudoap. 32,1¹: *herba argimonia uiridis per se trita et, si arida fuerit, in aqua calida intincta, ut facillime teri possit, illita sugillationes et liuores oculorum mature discutit.*

Dioscur. 2,178 RV (ἀργεμώνη ἑτέρα): δύναμιν δὲ ἔχει αὕτη χλωρὰ τριβομένη λεία καὶ ἐπιτιθεμένη διακοπὰς θραπέυειν καὶ ὀφθαλμῶν φλεγμονὰς παύειν.

Plinius haec non habet.

Marcellum autem uel ipsum Dioscuridem uel uersionem quandam Latinam eius auctoris adhibuisse nullo probabili argumento demonstrari potest. Denique ubi Marcellus eadem remedia iisdem fere uerbis atque Pseudoapuleius proponens enarratione paulo pleniore utitur, uidemus ea, quae apud Pseudoapuleium desiderantur, magna ex parte ad superstitionem medicinam pertinere; cf. e. g.:

Marc. 4,27: *porriginem potentissime hac potione purgabis: ros marinum teres sucumque eius uino uel aqua scripulis tribus dabis potui, sed qui sumit supra limen adsistat idque triduo faciat.*

Pseudoap. 79,3²: *(ad pruriginem in corpore): herbam rosmarinum contere et sucum eius cum uino ueteri et aqua calida [da] per triduum bibat.*

¹ [Ps.Apul. 31,1 ed. Howald-Sigerist.]

² [Ps.Apul. 80,9 ed. Howald-Sigerist.]

item Marc. 16,21: *feniculi radicem uiridem nitidam in pila lignea contunde atque eius sucum ieiunus cum uino uetere per dies continuos nouem in limine stans bibe; ualidissime aduersum tussem quamlibet molestam tibi proderit.*

Pseudoap. 124,1¹: *(ad tussim): herbae feniculi radicem tusam in mero ieiunus bibat per dies nouem; sanabitur.*

Cum autem Pseudoapuleius et ipse multa superstitiosa referat (uide e. g. 3,4. 4,9. 8,1. 10,1. 19,4, inprimis 91,4²: *in limine stans bibat*), non erat, cur, si e Marcello hausisset, talia omitteret. Contra Marcellus, quem superstitionum audissimum fuisse scimus, si, quae in fonte suo inuenit, isto modo adauxit, quid mirum? Haec omnia si animo perpendimus, eo adducimur, ut Marcellum copias Pseudoapuleianas in suum usum deriuasse censeamus.

Etiam in Sexti Placiti Papyriensis de medicina ex animalibus libro non tam pauca insunt, quae eadem et apud Marcellum leguntur. Ne haec quidem materiae societas tota in eo uersatur, quod praecipuus Sexti fons Plinii naturalis historiae libri 28, 29, 30 fuerunt, quos et Marcellus saepe numero adiit, sed interdum aut Marcellus Sextum Placitum excerptis statuendus est aut Sextus Marcellum. Qua de re nullus tibi scrupulus manebit, ubi locos tales contuleris:

Marcellus 8,66: *accipitrem si decoquas in oleo susino, donec caro eius resoluitur, et ex eo oculos frequenter inunguas, et ypochysim et caliginem discuties.*

Sextus Placitus 25,1³: *accipiter in oleo susino decoctus et inunctus suffusionem et caliginem discutit.*

Plinius nat. hist. 29,125: *accipiter decoctus in rosaceo efficacissimus ad inunctionem omnium uitiorum putatur.*

Marcellus 8,86: *aquilae fel cum melle Attico, myrra uera et nitro (legendum uidetur: myrra et ueratro) albo singulis unciis mixtum oculis uisionem acutissimam praestat, si cum modo infundatur.*

Sextus Placitus 23,1⁴: *ad oculorum suffusionem aquilae fel mixtum cum melle Attico inunges; quidam illud magis prodesse credunt, cum huic medicamento hellebori albi drachmam unam aut dimidiam aut myrrhae tantundem miscent et unctionem faciunt temperatam.*

Plinius nat. hist. 29,118: *... claritatem uisus restitui dicunt ... aquilae cerebro uel felle cum melle Attico.*

Marcellus 12,61: *finus corui lanula obuolutus denti cauo infulcitur; minutatim ac sine dolore eum discutiet.*

Sextus Placitus 28,4⁵: *stercus corui si cauo denti infusum (legendumne infusum?) uel impositum fuerit, dentem franget et dolorem tollet*

¹ [Ps.Apul. 125,3 ed. Howald-Sigerist.]

² [Ps.Apul. 2,11. 2,29. 7,2. 9,2. 18,12. 92,17 ed. Howald-Sigerist.]

³ [Sext. Plac. β 24,2 ed. Howald-Sigerist.]

⁴ [Sext. Plac. β 22,2 ed. Howald-Sigerist.]

⁵ [Sext. Plac. β 27,8 ed. Howald-Sigerist.]

(sic recensio Ackermanniana; *cauo denti si imposueris, dentem rumpit et tollit dolorem* editiones Hummelbergii et Stephani).

Plinius nat. hist. 30, 26: (*dentium dolorem statim abire tradunt*) . . . *fimo corui lana adalligato*.

In editiones Sexti Placiti idem cadit, quod de Pseudoapulei editionibus supra dixi¹. Multas igitur cautelas habent, quaecumque comparatione cum Marcello instituta de temporum ratione inter utrumque intercedentium concludi posse videntur — nam aliunde de Sexti Placiti aetate atque condicione nihil omnino compertum est —, praesertim cum tenuissima sint indicia huc spectantia. Vidimus ergo, ut unum alterumue exemplum proponam, locorum Marcelli 12, 61 et Sexti Placiti 28, 4 fontem primum esse Plinium, ita tamen, ut alter tantummodo, siue is fuit Marcellus, siue Sextus Placitus, ipsum Plinium euoluerit materiamque inde petitam alteri subministraverit. Propius autem ad Plinium accedit Marcellus, quippe qui, sicut Plinius, lana inuolutum corui fimum denti inserendum esse praecipiat, cum Sextus Placitus lanae mentionem non habeat. Vnde coniectari posse uidetur, Marcellum ea, quae exhibet loco supra commemorato, ex ipso Plinio uel, quod eodem pertinet, e Plinii breuiario deprompsisse, Sextum uero Placitum Marcellum exscripsisse. Eandem suspicionem faciunt hi loci inter se comparati:

Marcellus 17, 19: *ad suspiriosos sanandos fel ursinum aqua dilutum bibendum optime datur*.

Sextus Placitus 6, 3²: *ursinum fel in aqua calida potui datum suspiriosis optime succurrit*.

Plinius nat. hist. 28, 197: *fel ursinum in aqua laxat meatus spirandi*.

Verba Marcelli et Sexti Placiti alioquin simillima eo differunt, quod Marcellus fel ursinum in aqua simpliciter diluendum esse dicit, Sextus Placitus in aqua calida. Qua in re iterum cum Plinio consentit Marcellus. Cum autem tam arte inter se iuncti sint Marcellus et Sextus Placitus, ut alterum ex altero pendere uix negari possit, cumque illud *calida* non a Marcello omisum, sed a Sexto Placito adiectum esse appareat, sequitur, ut Sextus Placitus post Marcellum scripsisse putandus sit.

Perinde non iam in fontium, sed in testimoniorum numero sine ulla dubitatione habenda sunt additamenta, quibus adaucta est Theodori Prisciani recensio altera (i. e. codicum Berolinensis Lat. qu. 198 saec. XII et Chisianus F IV 57 saec. XII, partim etiam Romani bibliothecae Barberiniana IX 29 saec. XI/XII) quaeque auctori ipso Theodoro uno fere saeculo recentiori tribuit Valentinus Rose (praef. p. VI sq.). Hic Pseudo-theodorus studiose legit Marcellum, sed saepius etiam adhibuit medicinam

¹ [Anno 1927 prodiiit Lipsiae Sexti Placiti liber medicinae ex animalibus ab E. Howald et H. E. Sigerist editus (Corpus medicorum Latinorum uol. 4).]

² [Sext. Plac. 13, 7 ed. Howald-Sigerist.]

Plinii. E Marcello enim plerumque ea tantum petiisse uidetur, quae in breuiario Pliniano non leguntur. Ipsius Plinii naturalem historiam, quantum uideo, in usum non uocauit, at contra quaedam e Pseudoapuleio hausisse eum ueri simile est. Quam sententiam ut tibi probem, exempla aliquot afferenda sunt.


Pseudotheodorus p. 274, 2 sq. ed. Rose (*ad feruunculos et strumas*): *iecur talpae tritum impone; circumlines ita, ne per triduum leuetur.*

Medicina Plinii 3, 6, p. 81, 7 sqq.¹ (*ad strumas*): *iecur talpae quidam inter manus contritum circumliniunt et triduo non abluunt.*

Plinius nat. hist. 30, 38 (*ad strumas*): *alii iecur eiusdem (sc. talpae) contritum inter manus inlinunt et triduo non abluunt.*

Marcellus 15, 81: *iecur eius (sc. talpae) inter manus tritum adpositum plurimum prodest (strumis)*:

Horum testimoniorum si contentio fiat, facile apparet hoc euadere stemma:



Eadem ratio ualet in his locis:

Pseudotheod. p. 278, 2 sqq. (*ad dentium dolorem*): *et caprifici radix uino decocta et ipsum uinum ore contineatur; idem praestant et radices eius contusae, si super maxillas imponas.*

Med. Plin. 1, 13 p. 26, 22 sqq.²: *caprifici radix ex uino decoquitur, uinum in ore continetur, radix trita maxillae inponitur aduersum dolorem (dentium).*

Plin. nat. hist. 23, 129: *radix (caprifici) deferuefacta in uino dentium dolores (sedat).*

Marc. 12, 28: *caprifici radix uino decocta tritaque maxillae inponitur ac desuper ligatur et illud uinum in ore diu tenetur; ualde remedio est dentibus.*

Item e medicina Plinii, non e Marcello pendet Pseudotheodorus, cum p. 297, 12 sq. eis, qui podagra crucientur, hoc suadeat remedium: *ranae rubetae combustae cinis cum axungia ueteri impositus prodest; cf.*

Med. Plin. 2, 26 p. 68, 13 sq.³ (*podagrae dolori*): *ranae rubetae cinis cum adipe uetere.*

¹ [p. 71, 9 Ötnerfors.]

² [p. 21, 4 ed. Ötnerfors.]

³ [Med. Plin. 2, 27, 2 p. 59, 4 ed. Ötnerfors.]

Marc. 36,32: *ranae quoque rubetae exustae cinis cum sabuci coliculis teneris tritis et seuo hircino uetere permixto et decocto pariterque inposito prodest (doloribus podagrae).*

Tamen inter remedia ad podagram curandam etiam hoc proponit Pseudotheodorus

p. 296,28 sq.: *caules sambuci cum seuo hircino triti et impositi uehementissime prosunt.*

Videmus igitur eum Marcelli quoque locum supra allatum cognouisse et inde in suum usum transtulisse, quae in medicina Plinii non reperiēbat. Iam unum alterumue ex locis Pseudotheodorianis examinemus, qui in breuiario Pliniano non leguntur, extant autem in Plinii historia naturali et apud Marcellum:

Pseudotheod. p. 269,3 sq.: *cornu ceruini limata scobis ex uino potata pediculos lendinesque esse non patitur.*

Marc. 4,69: *ceruini cornus scobes limatae et ex uino potui datae pediculos in capite lendinesque nasci non sinunt.*

Plin. nat. hist. 28,163: *ad hanc (sc. porriginem) et cornus ceruini cinis e uino utque non taedia animalium capillis increscant.*

uel etiam

Pseudotheod. p. 325,26 sq.: *lac bubulum mox mulctum sic tepidum ieiuus bibat; quamuis exulceratum stomachum sanat.*

Marc. 20,109: *lac bubulum tepidum incoctum subinde sumptum exulceratum quoque stomachum sanabit.*

Plin. nat. hist. 28,196: *stomachum exulceratum lactis asinini potus reficit, item bubuli.*

Haec qui legerit facile cognoscet, Pseudotheodorum adire Marcellum potius quam Plinii historiam naturalem maluisse. Denique quae Pseudotheodoro cum Marcello et cum Pseudoapuleio communia sunt, utrum ex hoc an ex illo desumpserit plerumque ambigitur. Sunt tamen loci, quibus aut Pseudoapuleium solum aut Pseudoapuleium et Marcellum coniunctos adhibuisse putandus est; cf. e. g.:

Pseudotheod. p. 324,4 sqq. (*de spleniticis*): *ebuli radicem contunde et in puluerem redactae coclearia III ex uini cyathis III in limine stans per triduum bibat et ebulum sine ferro collectum secum portet.*

Pseudoapul. c. 91,4 (*ad splenis dolorem*): *herbae ebuli radicem siccatam et in puluerem mollissimum redactam ex uini cyathis quattuor pulueris coclearia tria in limine stans bibat et ebulum semper secum habeat sine ferro lectum.*

Marc. 23,22: *ebuli contusi sucum coclearia tria ex uini ueteris cyathis tribus per triduum da lienoso bibendum, ita ut ebulum semper secum habeat qui remedium accipit nec terram ipsum ebulum ferrumue tangat; idem 23,35: ebuli radicem, quam sine ferro euellas, aridam contusam et pollinis modo cribratam repones; inde cocliaria tria ex uini cyathis tribus in limine stans con-*

tra orientem per triduum bibito ieiunus (lienosus), sed omnino obserua, ne ebulum ferro contingatur aut ne ipse, dum remedium accipis, ferrum tecum habeas.

Hic propius ad Pseudoapuleium quam ad Marcellum accedere Pseudotheodorus extra dubitationem est. Tamen cum Marcello in eo consentit, quod ebuli radicem contusam ex uini *cyathis tribus* bibendam eamque potionem *per triduum* sumendam esse praecipit. Potest uero, ut apud Pseudoapuleium quoque *cyathis tribus* antiquitus scriptum fuerit – procliuis enim numerorum III et IIII confusio – utque uerba *per triduum* non ex Marcello, sed de suo addiderit Pseudotheodorus. Qua de re utut iudicabis, negare uix poteris, quin etiam Pseudoapuleium quadamtenus secutus sit Pseudotheodorus.¹

Praeterea doctrinae Marcellianae fragmenta quaedam in remediorum congerie ex uariis auctoribus conflata deprehenduntur, quae in codice Bruxellensi 1342–50 saec. XII Theodori Prisciani euporiston libros tres excipit quamque antidotarium Bruxellensium nomine notauit Valentinus Rose. Id quod facile apparet, ut unum tantum exemplum proferam, si antidotarium Bruxellensium paragraphum 107 cum eis componimus, quae habet Marcellus cap. 17 paragr. 37:

Marc. 17, 37: *aqua, quae in arborum lacunis cauisque corticibus consistere consuevit, suspirioso potui data celeriter eum sanabit atque omni periculo liberabit, si adsidue uel ipsa pura calida uel mixta potetur.*

Antidot. Brux. 107: *ad suspirium. aquam, quae in arbore inuenitur in lacunis cauisque corticibus consistens, suspirioso potum dabis.*

Idem ualet in Appendicem miscellaneorum, quam ex eodem codice Bruxellensi editioni suae Theodori Prisciani subiunxit Valentinus Rose (p. 398 sqq.); cf. e. g.

Marc. 29, 13: *coli dolorem auertes, si de lacertarum caudis summitatem tuleris et auro incluseris et ligaueris circa umbilicum aut si de reste uentrem circumcinxerint, de qua quis laqueo uitam finierit.*

Append. miscell. 201: *ad coli dolorem. coli dolorem auertis, si caudae lacertae summitatem ipsam auro clausam ligaueris circa umbilicum et si restem intuleris, in qua suspendio quis finierit uitam.*

¹ Sub ipso momento, quo plagularum huius editionis legendarum pensum absolui, innotuit mihi Iosephi Fahney dissertatio De Pseudotheodori additamentis anno 1913 a philosophorum ordine Vniuersitatis Guilelmae Guestfalae probata. Qua in commentatione Pseudotheodorus Marcelli librum inspexisse negatur locique utriusque scriptoris consoni e communi aliquo fonte manasse dicuntur. Argumentum uero, quo nititur is uir doctus, scilicet praeter locos, ex quibus inter Pseudotheodorum et Marcellum uix esse dissensionem intelligatur, plures reperiri ita comparatos, ut de congruentia omnino cogitari non possit, nullam probationis uim habere ex iis, quae supra disputaui, satis elucere confido, neque igitur est, quod pluribus Fahneyum redarguam, multo minus, quod a sententia mea discedam. [Pseudotheodorus e Marcello hausisse etiam, si non probant, attamen uerisimile reddunt praescriptiones Marc. 20, 64 lin. 3.6 20, 65, quae eodem ordine Pseudotheodorus exhibet.]

Plurima porro de Marcello testimonia prodit incertus auctor trium de re medica librorum, quos una cum epitome Gargilii Martialis medicinae ex oleribus et pomis uersionisque Latinae Θεραπευτικῶν Alexandri Tralliani edidit Romae anno 1509 Thomas Pighinuccius praemisso titulo 'Plinius de re medica'. Quod opus non multo post a Paulo Iouio episcopo Nouocomensi praepropero errore Plinio Valeriano medico adscriptum est, cuius titulus sepulchralis legitur in Corp. inscript. Lat. uol. 5 n. 5317¹, et sub eo nomine etiam nunc fertur.² Conscriptum uidetur ab homine Germano saeculo sexto uel septimo; continet praeter locos e Marcello petitos medicinam Plinii totam integram excerptaque ex responsionibus medicinalibus Caelii Aureliani et ex herbario Pseudoapuleiano.³ Exemplar Romanum foedissimis mendis inquinatum anno 1528 ab Albano Torino editioni Basiliensi medicinae Plinii a se curatae intextum est, quae editio, licet multa emendatiora dederit Torinus, tamen et ipsa uitiosis lectionibus scatet. Post Torinum nemo iam Plinii Valeriani qui uocatur compilationem edidit, id quod uehementer dolendum est, cum plurimum inde adiumenti ad Marcelli librum recensendum redundare posse uel obiter inspicienti facile appareat. Quam arte ille Marcelli uestigia presserit, his locis cognoscatur, quos ex magna similium frequentia eligo.

Marcellus 20,51: *urticam semen habentem in summo deme ac diligenter laua et ex ea sorbitionem facito bene conditam sine pipere; suauissime accipieris ad stomachum reficiendum.*

Plinius Valerianus 2,5 fol. 36 B⁴: *ad stomachi dolorem. urticam summam semen habentem deme et diligenter laua et ex ea sorbitionem facito bene conditam sine pipere; utilissime enim sumitur ad omne genus ualeitudinis, quod in stomachum prouenit.*

Marc. 20,82: *his, qui nec potu iuuantur nec cibo et stomachi ructus amarus patiuntur, centauream, id est fel terrae, contritam ad mensuram denarii argentei ex aquae calidae cyathis tribus bibendam ieiunis per triduum dabis; statim discutietur infirmitas.*

¹ Cf. Pauli Iouii libellum De piscibus Romanis (Romae 1524) cap. 35: 'Quas (sc. tructas fluuiales) etiam in paralyticorum cibariis magnopere laudauit ille Plinius, qui elegantem librum de morbis atque remediis conscripsit. Fuit is procul dubio Plinio naturalis historiae scriptore et Plinio Caecilio posterior uocatusque est Plinius Valerianus medicus, cuius marmoreum sepulchrum Comi, ubi Pliniorum familia floruit, in templo D. Probini aquae sacrae labello superpositum et pulcherrimis incisum characteribus conspicitur.' Inscriptionis a Iouio designatae haec sunt uerba: *D. m. C. Plinii Valeriani medici, qui uixit ann. XXII m. VI d. V, parentes* (= Dessau Inscr. Lat. sel. n. 7787).

² Velut in laterculo auctorum Thesauro linguae Latinae adiecto, qua de re ego quoque id nomen usurpauit.

³ Cf. Valentini Rose commentationem supra commemoratam in Hermae uol. 8 p. 39 sqq. et W. S. Teuffels Geschichte der röm. Literatur ed. 6 uol. 3 p. 110 § 367, 10b.

⁴ Numeri foliorum sunt editionis Toriniana.

Plin. Val. 2,4 fol. 36 A: *ad dolorem et fastidium stomachi, qui nec cibo nec potu[i] iuuatur, ructos quoque amaros patitur. centauriae, id est (unum edd.; fuit in codice i. = id est) fellis terrae, conteres libram unam ex aquae calidae cyathis quattuor, dabis ieiuno bibendum per triduum; discutietur infirmitas.*

Marc. 26,103: *nasturcium tritum cum uino dulci cibario dabis uessicae taedio laboranti per triduum potui, sed satis spissum poculum detur.*

Plin. Val. 2,38 fol. 56 A: *nasturtium tritum cum uino dulci cibario ac ualde spissum per triduum potui datum.*

Monendum est tamen, similitudinem inter Plinium Valerianum, quem dicunt, et Marcellum intercedentem non totam in eo positam esse, quod ille ex hoc hauserit; uidimus enim, Plinium Valerianum praeter ipsum Marcellum etiam fontes quosdam Marcelli adisse. Sed sine negotio plerumque dinoscitur, quae fontes Marcelli ei suppeditauerint, quae ipse Marcellus; uelut si conferas hos locos inter se consentientes, statim manifestum erit, Plinium Valerianum non Marcellum secutum esse, sed Pseudo-apuleium:

Plin. Val. 1,18 fol. 20 D: *ut caliginantibus oculis claritas restituatur (restituatur edd.) et ne facile hoc periculum incidat[ur], centauriae herbae manipulus in uini sextariis sex coquitur ac tritum maceratumque eximitur; inde quotidie hemina mixto melle ieiuno propinat[ur].*

Pseudoapul. 36,2¹: *caliginantibus quoque oculis ut claritas restituatur et ne facile quis in hoc periculum incidat, centaurii minoris manipulum in uini congio coquito ac triduum maceratum eximito; inde quotidie ad heminam mellis Attici mixtum ieiunus bibat.*

Varia lectio: *caliginantibus quoque oculis ut claritas restituatur*] sic codex Vratislaviensis, *caligantibus etiam oculis claritas restituitur* ed. Ackermanni — *et ne facile quis*] recte facile ne quis ed. Ackerm., *et ne facile quis in hoc periculum incidat* om. cod. Vratisl. — *centaurii*] herbae centauriae cod. Vratisl. — *in uini sextario decoque et in triduo macerato, adiecto melle dimidiam libram cocti ieiunus bibato* (sic) cod. Vratisl.; cf. Rosei commentat. supra laud. p. 41.

Marc. 8,94: *caliginantibus oculis uisus acutior restituatur neque facile in hoc uitium incidet, qui usus fuerit remedio tali, ut centaureae manipulum nitidum in uini optimi, sed nouellastri congiu mittat aut etiam excoquat ac triduo in uasculo clauso uel operto macerari faciat, deinde post triduum heminam eius uini mixtam cum calida aqua adiecto melle ieiunus manente illic centaurea cottidie bibat.*

Denique uersus aliquot carminis, quo Marcelli liber clauditur, in saeculi decimi epos recepti sunt 'Ecbasis cuiusdam captiui per tropologiam' inscriptum, quod epos a clerico Gallo magna ex parte centonis modo e

¹ [Ps. Apul. 35,7 ed. Howald-Sigerist.]

uariis poetis Latinis, Horatio, Vergilio, Ouidio, Prudentio, Iuueno aliis consarcitum est.¹

Quibus fontibus et testimoniis collatis saepius menda in Marcelli codicibus latentia patefieri et emendari supra dictum est. Rursus haud ita raro Marcellus genuinam lectionem seruauit cum eorum, ex quibus pendet uel qui ex eo pendent, textus aliquid damni contraxerit, id quod in transcurso duobus exemplis demonstrasse satis erit.²

Legitur apud Scribonium cap. 86: *passi meconii quod satis erit miscebitur*. Mirandum est editores non animaduertisse lectionem *meconii* sensu carere, nam absurde copulatur in indice editionis Helmreichianae p. 115 *passum meconium* cum *meconio*, quod commemoratur a Scribonio cap. 180: *opium potum, quod quidam meconium uocant*. Emendationis uiam aperiunt Marcelli codices, qui praebent 17,25: *passi miconi(i)*. Designatur enim *passum Myconium*, id est uinum, quod fiebat ex uuis passis in Mycono insula.

In medicina Plinii 1,1 p. 10,12 sqq.³, qui locus non extat in Plinii naturali historia, consentiens est codicum lectio: *pollinem siliginis admixto oui albo, simul et quiddam salis albi conspergi oportet frontique inlini*. Marcelli loco huc pertinente (1,60 p. 68,29–31) traditur: *pollinem siliginis admixto oui albo et quippiam salis confricato et fronti inlinito*, unde concludere licet, in medicina Pliniana *albi* ex iis, quae antecedunt perperam repetitum delendum esse.

Restat, ut in extrema hac praefatione aequam a te ueniam petam, candide lector, si quando dormitans erraui gratiasque referam ex animi sententia omnibus, qui quocumque modo in hac editione adornanda me adiuuerunt. Inter quos praecipue nominandi sunt Oscarus Viedebant, qui, qua est officiosa uoluntate, fragmentum Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν (p. 10 sqq.), cuius partem alteram ut intellectu difficillimam ne transcriberat quidem Cornarius (quo factum est, ut etiam apud Helmreichium desit), summa diligentia felicissimoque ingenii acumine a me rogatus enodauit notisque instruxit, Guilelmus Heraeus, qui indefesso studio in plagulis legendis mihi adfuit difficultatesque multas, in quibus incertus haesi, docte sustulit, Eduardus Liechtenhan discipulus, qui in conquirendis fontibus testimoniisque strenuam operam mihi praestitit nec non uxor dilectissima et uirgo comissima Ida Geisel philos. doct., a

¹ Cf. Maximiliani Manitii librum Geschichte der latein. Literatur des Mittelalters, uol. 1 (Monaci 1911) p. 616 sqq.

² Monendum est, Scribonii compositionum codices manuscriptos nullos superesse editionemque principem a Ruellio uix minore quam editionem principem Marcelli a Cornario libidine interpolatam uideri. [Multis locis Scribonianis emendandis operam nauauit Paul Jourdan in dissertatione quae inscribitur Notes de critique verbale sur Scribonius Largus (Thèse Neuchâtel), Parisiis 1919.]

³ [p. 7,11 Önnersfors.]

quibus schedae indicis specierum sollerti cura meum in usum paratae sunt. Denique Institutum Puschmannianum Lipsiense gratissimum mihi fecit, quod intercedente u. d. Carolo Sudhoff imaginum phototypicarum codicum Parisini et Arundeliani mihi permisit potestatem.

PRAEFATIO ALTERIVS EDITIONIS

Ad ea, quae Maximilianus Niedermann accuratissime exposuit, non multa habeo, quae addam. Tamen nonnulla adicere mihi liceat.

De codicibus. A. Thomas, *Journal des Savants* 1920 p. 17 adn. 3 atque E. Steinmeyer et E. Sievers, *Die althochdeutschen Glossen* uol. IV p. 380 lin. 3 et 29 commemorauerunt codicem Bambergensem Med. 6 (L III 9) saeculi XIII continere medicamenta e Marcello excerpta a p. 128^u ad p. 134^r et a p. 139^u ad p. 141^r. Eas paginas cura Academiae Berolinensis phototypice expressas contuli. Non solum autem in paginis a uiris doctis citatis, sed etiam alibi codicem remedia Marcelliana continere ex eo colligo, quod ultima linea paginae 134^r media in paragrapho 9, 2 Marcelli finit. At paginam insequentem non uidi. Tamen, quia mihi persuasi illa excerpta saepe magis a Marcello discrepare, quam ut ad constituendum textum utilia esse possint, recusavi, ne maiores partes codicis phototypice exprimendas curarem. Pauca exempla afferre mihi non alienum uidetur, ut lector iudicare possit, qualis sit inter eos affinitas.

Quaedam paragraphi paene uerbotenus redduntur:

Marcellus cap. 4, 21: *Cornum ceruinum in scobem limatum et cum uino potum lindines enecat renascique non patitur.*

Cod. Bambergensis p. 129^u col. 2: *Cornu ceruinum in scobes limatum et cum uino potui datum glindines necat renascique non patitur.*

Paulo magis inter se differunt:

Marcellus cap. 4, 23: *Felle uituli caput perunctum lindines exterminantur.*

Cod. Bambergensis ibidem: *Felle uituli caput perunctum item omnino necat.*

Marcellus cap. 4, 48: *Folia oliuae commanducata et inposita ulceribus manantibus medentur.*

Cod. Bambergensis ibidem: *Folia oliuae commanducata ualent capiti ulceroso et pediculoso.*

Non solum uerbis, sed etiam re discrepant:

Marcellus cap. 13, 7: *Dentifricium ad dentes nigros emendandos: Hordei farinam delicatam et sal tritum cum melle confricato, donec sibi cohaereant, et postea pastam ipsam linteo inuolutam comburito ac puluerem tenuissimum facito atque eo dentes mane ac uespere confricato; cito candidissimos facies.*

Cod. Bambergensis p. 140^r col. 2: *Ad nigros dentes. Ordei farinam delicatam et sal tritum cum melle confricatum donec cohereat pastellato et pastillos lintheo inuolutos comburito ac facto puluere tenuissimo dentes mane et uespere confricato et erunt candidissimi.*

Conferas uelim praeterea:

Marcellus cap. 13, 19: *Ad dentes purgandos panem candidum et pumicem pari pondere combure et tere et adsidue hoc dentifricio utere.*

Cod. Bambergensis ibidem: *Panis mundus et pumex pari pondere contritus et prius combustus dentibus infricatus idem facit.*

Marcellus cap. 8, 181: *Pilos oculis molestos diligentissime uelles atque eorum loca hircino sanguine recenti aut leporis aut uespertilionis inlines uel canino lacte continges aut acu cuprea calida aceto saepius delibuta perduces.*

Cod. Bambergensis p. 132^r col. 2: *Valet ad idem, si canino lacte pili perunguantur uel acu cuprea calida aceto sepius delibuta pilos euellere et non recrescunt.*

Marcellus cap. 8, 36: *Vino, in quo laurus fuerit decoctus, oculi foti dolore potentissime leuabuntur.*

Cod. Bambergensis p. 131^u col. 1: *item facit laurus cum uino cocta et oculis super.*

Ex his locis apparet non aliter librarium Bambergensis codicis Marcelli usum esse atque auctorem Physicae Plinii uel Pseudotheodorum. Tamen, quod ille codex manuscriptus publici iuris non est factus, conspectum fontium et testimoniorum eius mentione onerandum non censui, etsi quodam modo in numero testimoniorum habendus est.

Codices non ipse iterum contuli, sed Niedermanni, qui fuit ἀκριβέστατος, collationibus nixus sum, quas omni fide dignas esse mihi denuo persuasi nonnullas paginas exemplaris phototypici codicis Parisini cum iis comparando.

De fontibus. Niedermann saepe — non tamen semper — pondera et mensuras a Scribonio discrepantes in adnotatione critica notauit. Qua in re eum non imitatus sum nisi tum, cum in Marcelli contextu corruptela quaedam mihi aut latere aut manifesta esse uidebatur.

Non idem sentio ac Niedermann, cum existimat Marcellum praefationem Scribonii, cui inter alias epistulas operi suo praepositas nomen Cornelii Celsi imposuit, Apuleio Celso Centuripino addixisse et eum cum Cornelio Celso confudisse; itaque in praefatione Marcelli § 2 scribendum esse *Apuleius [et] Celsus*. Cum Pseudoapulei Herbarius inter fontes Marcelli habendus sit, ut Niedermann ipse demonstrauit (supra p. XIX–XXII), mihi dubium non est, quin in admonitione ad filios facta de illius tractatu agatur. Qua re adductus Scribonii praefationem Cornelii Celsi esse putauerit, uix erui poterit.¹

¹ Cf. Liechtenhan, Bem., p. 10.

Nonnullis locis Marcellus praecepta in Plinii naturali historia inuenta cum Medicina Plinii in unum contraxisse uidetur, e. gr.

Marcellus cap. 16,83: *Glutinum, quo charta glutinatur, calidum in modum sorbitionis hauritur uel ex aqua calida sanguinem excreantibus datur.*

Plinius nat. hist. 22,127: *Farina, qua chartae glutinantur, sanguinem excreantibus datur sorbenda efficaciter.*

Plinius nat. hist. 28,195: *glutinum taurinum tribus obolis cum calida aqua bibitur in uetere sanguinis excreatione.*

Medicina Plinii 1,25,4 p. 31,19: *Farina, qua chartae glutinantur, calda in modum sorbitionis hauritur.*

Marcellus cap. 12,27: *Acetum tepidum scillitum in ore tentum et gingiuas tumentes constringit et continet dentes uacillantes.*

Plinius nat. hist. 23,59: *Acetum scillinum inueteratum . . . gingiuas adstringit et dentes continet.*

Medicina Plinii 1,13,3 p. 21,3: *Acetum si in ore contineatur gingiuas stringit et dentes continet.*

Eandem praescriptionem bis positam modo e naturali historia modo e Medicina Plinii fluxisse hi loci demonstrant:

Marcellus cap. 26,12: *Contra calculum et alias difficultates uessicae lapillum, qui in gallinaei uessica aut in palumbi uentriculo inuenitur, conteri et aspergi potioni prodest. Item membrana uentriculi eius trita, fimus quoque columbinus in faba sumptus, idem glebula de nido herundinum diluta ex aqua calida pota prodest.*

Marcellus cap. 26,80: *Fimus palumbinus in sorbitione sumptus ex faba facta admirabile stranguriosis praesentat auxilium.*

Plinius nat. hist. 30,67: *Lapillos, qui in gallinaceorum uesica aut in palumbium uentriculo inueniantur, conteri et potioni inspergi, item membranam e uentriculo gallinaei aridam uel, si recens sit, tostam, fimum quoque palumbinum in faba sumi contra calculos et alias difficultates uesicae . . . (68) e nido hirundinum glaebulam (var. lect. grillum) dilutam aqua calida . . .*

Medicina Plinii 2,18,5 p. 52,13: *Fimus palumborum in sorbitione ex faba fressa (var. lect. facta, fracta) bibitur.*

Ex his locis elucet Marcellum non editione pleniore Medicinae usum esse, sed bono iure 'utrumque Plinium' inter fontes nominauisse.¹

De Pseudoapuleio nihil est quod Niedermanni dissertationi addam nisi ea, quae E. Howald et H. E. Sigerist p. XIX suae praefationis dicunt: uerisimile esse Apulei codicem, quo Marcellus usus esset, iam synonymis auctum fuisse; saepe enim nominibus herbarum synonyma addit. Tamen non est neglegendum multa alia synonyma eum adicere (e. gr. *concretio* siue *hypersarcosis* cap. 9,65 p. 180,17) et altera nomina etiam plantarum

¹ Cf. Liechtenhan, Bem., p. 29 sq.

inueniri locis, qui non e Pseudoapuleio fluxerunt (e. gr. *arnoglosa id est plantago* cap. 8, 79 p. 132, 26).

Liber de herba uettonica, qui Antonio Musae Augusti medico attribuitur, apud Ackermannum ut primum caput Pseudoapulei editus est; E. Howald et H. E. Sigerist separauerunt.¹ Itaque ei loci, quorum materia Pseudomusae et Marcelli communis est, denuo examinandi sunt. Conferas uelim:

Marcellus cap. 26, 37: *Ad renium dolorem herbae uettonicae tritae pondus denariorum duorum sano ex mulso, febricitanti ex aqua calida bibendum dato.*

Pseudomusa 13 lin. 77: *ad renum dolorem. Vettonicae dragmas II ex mulso ciatis II, dum biberit, sanus erit*

Marcellus cap. 10, 57: *Herbam uettonicam teres, cui paululum salis, quantum duobus digitis pollice et medicinali capere potueris, adicies et formatam pilulam rotundam naribus inseres; omnibus uitiis purgatas nares cito ad sanitatem perduces.*

Pseudomusa 6 lin. 55: *Ad sanguinem de naribus nimium profluentem. Herba uettonica contrita, paululum salis adicito, digitis duobus pollice et medio, quantum tolli potest sublata, rotundulam facis et naribus inseris*

Cum saepissime Marcellus ea, quae in fontibus suis legerat, paulo auctius aut uerbosius reddat, non alienum est coniectari eum Pseudomusam exscripsisse. Auctor illius de herba uettonica libelli ergo ante Marcellum scripsisse uidetur.

De medicamentis, quae Q. Sereni et Marcelli communia sunt, Schanz-Hosius IV 2 p. 279 iudicant non Serenum inter fontes Marcelli habendum esse, sed utrumque eorum eosdem fontes exscripsisse. F. Vollmer p. III suae editionis censet 'in epilogo certe' Marcellum illum poetam imitatum esse; quam ad sententiam adducitur comparando:

Marcellus c. 3 sq.: *A genitore suo, qui quondam uersus in anguem Templi Palatinae subiit sublimia Romae*

Q. Serenus 6 sq.: *Qui quondam placida tectus sub pelle draconis Tarpeias arces atque inclita templa petisti*

Praeterea componit salutiferas Marc. c. 8 et Q. Ser. 1; *puleiumque potens* Marc. c. 40 et Q. Ser. 15 atque 572; *pruna Damasci* Marc. c. 41 et Q. Ser. 517. Num in remediis quoque Marcellus e Q. Sereno pendeat, eam quaestionem Vollmer non disceptat. Constat inter omnes medicamina a Q. Sereno laudata magna ex parte e fonte Pliniana fluxisse. Eundem locum eum et Marcellum transcripsisse haec exempla docent:

Plinius nat. hist. 28, 61: *perstringi contra . . . sanguinem . . . narium immodicum lino uel papyro principia genitalium*

¹ Cf. ea, quae Howald et Sigerist in praefationis suae p. XXI de aetate Pseudomusae scripserunt.

³ Marcellus

Marcellus cap. 10,43: *Linum uel papyrus ligata summitati ueretri uirilis sanguinem profluentem naribus mire reprimat.*

Q. Serenus 635: *Praeterea Phariis caput emetire papyris, detrahe, quod superest: illo genitalia nece.*

Idem declarant uocabula *summitas* et *principia*, quorum neutrum Q. Serenus exhibet.

Plinius nat. hist. 28,176: *si gravitas sit audiendi, fel bubulum cum urina caprae uel hirci . . .*

Marcellus cap. 9,66: *Aduersus gravitatem audiendi fel bubulum cum urina hirci auriculae, quae molestiam surdiginis patitur, instillabis statimque subuenies.*

Q. Serenus 174 sq.: *Fella bouis surdis etiam prodesse loquuntur, si iungas olidae graue quod minxere capellae.*

Sunt tamen loci, quibus uocabula a Pliniano textu discrepantia, sed Marcelli et Q. Sereni communia confirmare uidentur eos auctores artius cohaerere:

Plinius nat. hist. 29,135: *Vermes . . . ex arboribus rubri cum oleo exulceratis et ruptis auribus praeclare medentur.*

Marcellus cap. 9,84: *Vermes ex qualibet arbore rubri coloris contriti cum oleo et infusi dolores aurium sedant.*

Q. Serenus 169: *Annosa rubros si legeris arbore uermes, ex oleo tere: sic tepidos infunde dolenti.*

Plinius nat. hist. 29,31: *(Lana sucida) sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo, et alio modo indita auribus obturatis spissius.*

Marcellus cap. 10,45: *Lana sucida ex oue femina decerpta atque intorta madefactaque rosa liquida et naribus indita sanguinis abundantiam reprimat.*

Q. Serenus 630: *Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato; haec datur in nares uel claudit densius aures.*

Plinius nat. hist. 30,78: *Incussos articulos aranei telae commodissime curant.*

Med. Plin. 3,1,3 p. 63,13: *Incussos articulos aranei tela commodissime curat.*

Marcellus cap. 34,65: *Incussos articulos araneorum telae cum oleo inpositae saluberrime sanant.*

Q. Serenus 956: *Si uero caput infestus colliserit ictus, ex oleo necti uestis debet Arachnes.*

Sunt ergo loci, ubi praecepta e Plinio et e Q. Sereno hausta coniuncta esse apparent. Inde coniectura suggeritur Marcellum eos eodem modo copulasse, quo eum Plinii naturalem historiam et Medicinam Plinii in unum contraxisse supra p. XXXII demonstraui. Sed eiusmodi loci rariores sunt, quam ut ex iis aliquid certi concludere audeam. Quamquam uersus Q. Sereni uix quidquam ad textum Marcelli constituendum afferre possunt, tamen eos, qui profecto similes sunt, inter fontes et testimonia

notandos censui; nonnullos, qui nimium a Marcello differre mihi uidebantur, neglexi.

In opere medici Arabis Yūḥannā ibn Māsawaih¹ uiri docti C. Prüfer et M. Meyerhof collyrium inuenerunt, cui nomen Marcelli inditur; iis persuasum est agi de nostro Marcello, quamquam nullum collyrium apud eum descriptum plane cum illo Arabis congruit. Simillima sunt Marc. cap. 8, 117, 119, 195.

Fontes maioris partis remediorum a Marcello laudatorum ignoti sunt; sed interdum complurium paragraphorum originem communem e scribendi genere augurari possumus. Cuius rei exemplo sint medicamina cap. 8, 126–128, quorum stilus praecipue uulgaris est.

Quatenus Marcellus e medicina Gallica hauserit, inuestigat M. Hoefler, Janus 17, 1912, p. 2.

De ratione editionis. Quod ad orthographiam attinet, non plane eandem rationem secutus sum, qua Niedermann in prima editione usus est. Non opus est exponere me quoque et multos librariorum lapsus calami et multas minutias neglexisse (*e* pro *ae*, *y* pro *i*, e. gr. *yris* PL p. 104, 10, *ti* pro *ci* uocali sequente, e. gr. *efficatia* p. 124, 20). At haud raro paulo artius pressi testimonium codicum; e. gr. ubi *y* aut *i* litterarum Graecarum oī locum tenent, non *oe* scripsi, sed *i* aut *y* (e. gr. *scinus*, *scynus* pro *schoenus*). Semper scripsi *umor* et *umidus*; at in uocibus Graecis codices secutus sum (e. gr. *hysopum* et *ysopum*). Confusio uocalium *e* et *i*, *o* et *u* saepenumero nullius momenti est (saepissime enim occurrit in libris manuscriptis medii aevi); at qui perspexerit nouies codices praebere *ualedissime*, semel *ualidissime*, non me reprehendet in eo, quod, quae in codicibus leguntur, textui inserui (cf. etiam *ualetudo* et *ualitudo*, *grauedo* et *grauido* sim.). Simili modo formas *globolus*, *paulolum* non sum cunctatus in contextum recipere, ubi et Parisinus et Laudunensis eas praebent, eas ad pronuntiationem posteriorum temporum congruere existimans. Haec exempla sufficient ad demonstrandum, quam uiam in his rebus sim secutus, memor admonitionis Niedermanni, qui scripsit in p. XXXII suae editionis: 'In textu auctoris nostri constituendo religiosissime cauendum erat, ne genuinus sequioris sermonis color ablitteraretur uulgaritatisque, ut ita dicam, robigo abstergeretur.' Spes me tenet uel paulo religiosius praeceptore agentem me non perperam fecisse. Vix necesse erit explanare me proprietates Latinitatis posterioris, ubi non consensu utriusque codicis fulciuntur, in adnotationem criticam rele-gasse.

Reliquum est, ut pauca dicam de confusione casuum in *-a* et *-am*, *-e* et *-em*, *-o* et *-um* exeuntium (*aciem certiore* PL p. 134, 22 ad ignem lento

¹ Die Augenheilkunde des Jūḥanna b. Māsawaih (777–857 n. Chr.). Der Islam 6, 1915, p. 251.

PL p. 132,6 *cum rosa et lenticulam* PL p. 458,1).¹ Sicut Niedermann, in ea re 'quantumuis saepe a codicum memoria recedere ueritus non sum', sed alia adductus ratione atque ille. Scripsit p. XXXIV suae editionis: 'Memini enim, editionem meam non ad philologorum tantum usum destinatam esse neque praeter necessitatem lectorem offendendum esse censui.' Mihi persuasum est eos, qui medicinae artis historiae inuestigandae operam dant, non ultra modum hac difficultate offendi. At duae aliae sunt causae, quae me, ut ita agerem, commouerunt. Saepissime enim codices non congruunt; ideo suspicio est formas uulgares, ut ita dicam, etiam tum, cum P et L idem praebent, librariis deberi. Praeterea multis locis mendum existere ex eo coniectari potest, quod aut unum aut plura uerba in -m aut in uocalem exeuntia praecedunt aut sequuntur (*expressam in ollam noua componunt* PL p. 226,15 sq. *dolorem factum ex perustionem* PL p. 58,9 sq. *cum pollinem tritam* pro *cum polline tritam* PL p. 190,29 *tangi digito umidum medicamentum* pro *digito umido* PL p. 232,6 *in quo libistico fuerat* pro *libisticum* PL p. 48,8).² De simili causa -m excidisse uidetur p. 494,33 *ex aqua bibenda* pro *bibendam* PL. Haud raro -m ponitur, ubi uerbum insequens ea littera incipit (*corticem mali* pro *cortice mali* PL p. 182,32 *lacerta uiuam missa in uas* PL p. 284,28 *infra scripta tritam miscabis* PL p. 484,6).³ Vix ergo diiudicari potest, utrum e. gr. p. 68,31 sq. legendum sit *de horto collectum* an *de hortum collectum* (cf. *de pedes meos* in incantatione p. 618,20). Itaque, cum certi nihil affirmari posse mihi uidetur, talibus locis normam grammaticorum secutus sum et formas ab ea recedentes in adnotationem relegaui; etiam tum eas notaui, cum in uno tantum codice extant.

Gratia debetur Academiae Berolinensi, quae mihi occasionem praeuit editionem Maximiliani Niedermann praeceptoris ueneratissimi retractare et codicis Bambergensis partem phototypice exprimendam curauit. Inprimis gratias ago Conrado Schubring et Juttae Kollesch infatigabilibus auctoribus innumerabilium consiliorum et Ioanni Vuilleumier, qui me in rebus medicamentariis benignissime adiuuit, necnon Andreae Labhardt amico, qui mihi exemplaris Niedermanni soceri et eius collationum codicum officiosissime copiam fecit.

Basileae, mense Iunio a. MCMLXV

Eduard Liechtenhan

¹ Non solum accusatiuis et ablatiuis confunduntur, ut dicit Niedermann p. XXXIII suae editionis, sed etiam accusatiuis cum nominatiuo, ut e nostris exemplis infra scriptis elucet.

² Cf. *quidquid in arteriis uitis est* PL p. 232,31.

³ Cf. *pulueris specierum* pro *pulueri* PL p. 76,5 *rubi teneris succus* PL p. 182,30 *antidotum incomparabiles sic* PL p. 290,17 *quod die* pro *quo die* P (L def.) p. 612,3.

Vt Marcelli textus maioris numeri lectorum intellectui aperiretur, editioni alteri translatio Germanica addita est. Gratias magnas agimus Conrado Schubring et Gotthardo Strohmaier, qui recensendae uersionis operam susceperunt et nobis consilia bona et multiplicia dederunt.

Priusquam huius uoluminis schedae manu scriptae, ut imprimerentur, lima ultima politae sunt, Eduardus Liechtenhan mortem repentinam obiit. Nos non modo huius libri editorem, sed uirum doctissimum de infimae Latinitatis inuestigatione optime meritum atque seriei scriptorum antiquorum, quae Corpus Medicorum Latinorum inscribitur, iam diu coniunctissimum amisisse dolemus. Cum ei plagulas a typothetis excusas corrigendi facultas non iam data sit, officium nostrum habemus, ut editoris opus supremum diligentia industriaque eius propria imprimendum curemus hoc modo memoriam defuncti digne retineri existimantes.

Berolini, mense Nouembri a. MCMLXV

J. Kollesch et D. Nickel